

De vita E. Zanotti commentarius iterum editus curante C. Vannettio / [Luigi Caccianemici Palcani].

Contributors

Caccianemici Palcani, Luigi.
Zanotti, Eustachio, 1709-1782.
Vannettio, C.

Publication/Creation

Parma : Reg. Typog, 1785.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ga38wfpw>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



16418/B

B.xxiv.Zan

CACCIANEMICI PALCANI, F

6/53

my

35650

296
813

DE VITA
EUSTACHII ZANOTTI
COMMENTARIUS

ITERUM EDITUS

CURANTE

CLEMENTINO VANNETTIO

EQUITE ROBORETANO.



PARMAE



EX REGIO TYPOGRAPHEO

M. DCC. LXXXV.

WELLOOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

CLEMENTINUS VANETTIUS
JOHANNI BAPT. ROBERTO

S. D.

Vetus jam est, ac pervulgata querela, Johannes Baptista Roberte vir clarissime, postquam externarum gentium litterae fucato quodam, et fallaci splendore nostrorum hominum mentes perstringere coeperunt, non multos esse, qui liberalis doctrinae divitias ex illis potissimum Latinorum fontibus, unde majores nostri omnem haurire elegantiam solebant, sibi petendas putent; paucissimos vero, qui bene latine scribendo eam gloriam retinere studeant, quae Italiae propria semper est habita. Quo fit, ut et nos avitam hujus excellentiae possessionem sensim per socordiam amittamus, et ipse quoque noster sermo, qui latina illa consuetudine mirifice adjuvabatur, et quasi colorabatur, hac perégrinarum linguarum, novarumque dictionum insolenti permixtione corruptior in dies evadat, ac totus propemodum immutetur. Attamen non dum eo rem dedu-

ctam esse intelligimus, ut omnis jam Romanae eloquentiae apud nos penitus exaruerit, atque interciderit facultas. Possumus etiam scilicet nominare nonnullos, qui veterum scriptorum tum solutam, tum vinctam numeris orationem ita commode exprimant, effingantque, ut illos ipsos tanquam ex inferis revocatos nobis exhibere videantur. Sed nimirum quanto hi pauciores hodie sunt, tanto pluris eorum est cum industria, tum magnitudo animi aestimanda, qui hujus aetatis fastidio nihil deterriti, praeae, verissimaeque laudis conservandae gratia, praesenti, ac propriae gloriolae, quam fortasse aliunde sibi comparare possent, serum patriumque decus anteponant. Quo diligentius curandum est, si qua ab iis elucubrata exierint, quae et antiqua verborum munditia delectare, et vero recenti rerum varietate prodesse queant, ea ut quam potest, latissime propagentur. Quo ego ex genere Commentarium eum sine controversia esse statuo, quem de Eustachii Zanotti Bononiensis vita Aloysius Caccianimicus Palcanus honestissimus ejus Civis, summo vir ingenio, multiplici scientia, admirabilique memoria, conscripsit, quique proximo superiore anno Bononiae sine ullo nomine, communi aliquot Sociorum impensa, est in lucem edi-

tus. Cum enim praeclarus ille astrorum contemplator, et Manfredio Magistro suo plane dignus, idemque probabilis Mathematicus adeo diserte in eo laudatur, ut facile appareat, a quo sic laudetur, magnam habere ipsum taliū disciplinarum intelligentiam; tum tanta elucet latini sermonis integritas, tantusque in tenui subtilitate lepos, ut, amota superstitione, dicere non dubitem, vel Cornelium illum Catonis, atque Attici laudatorem, si revivisceret, habiturum quod Palcano invideret; nam profecto intelligeret, eum sibi de nitore nihil concedere, copia vero, et jucunditate etiam praestare. Quamobrem nemini mirum videri debet, si, quum hujus libelli perpauca, et ad Sociorum ferme numerum emissa fuisse exempla scirem, existimavi, esse hominis Italicae gloriae diligentis dare operam, ut is iterum a Librariis, et quidem Bodonianis, hoc est, totius Italiae nobilissimis describeretur; quippe indigne ferebam, vel talis viri praeconium, qualis Eustachius fuit, non in eorum quoque manus pervenire, qui ipsius commentationes ob diversam studiorum rationem attingere non solent, vel tam suave scriptum tam angustis unius fere urbis finibus contineri; quum praesertim magna id ubique expeti cupiditate non

ignorarem. Etsi autem opus patrono minime indigere putabam, simul ac tamen ejus rursus edendi consilium coepi, statim tu mihi, mi Roberte, occurristi, ad quem si illud mitterem, videbam, non modo me tibi (id quod jam diu mihi in optatis erat) publicum observantiae erga te meae testimonium daturum esse quam gratissimum; verum etiam hanc editionem, meumque in Palcanum officium communicatione clientelae tuae plus auctoritatis, splendorisque habiturum. Etenim tam multae, justaeque ad eam rem in te uno conveniunt causae, ut ipse medius fidius liber, si minus tibi a me dedicetur, mecum haud leviter conquesturus; sin cui alii, etiam gravissime, ut apertam injuriam, laturus esse videatur. Tu enim (ut alia in praesens missa faciam) et tanto latinam linguam, latinaeque linguae studiosos cultu, atque honore prosequeris, quanto secundum Ferrium nostrum fortasse nemo; et ea ipse in animi sensibus illuminate ac polite explicandis, exornandisque sic uteris, tamquam tua; et universam Bononiam, velut alteram patriam, ac quidquid inde proficiscatur (et quidem nihil, nisi absolutissimum, proficisci solet) propter memoriam diuturni, ac beatissimi domicilii perjucundam singulari com-

plecteris caritate; et praecipuo quodam dulcissimae consuetudinis vinculo divino illi seni Eustachii hujus patruo Francisco Zanotto, quamdiu vixit (utinam autem numquam mori debisset) devinctus fuisti: id quod etiam aureolae illae ultro citroque inter vos missae epistolae, quas tu academicis ejus sermonibus adjunxisti, summa tua cum dignitate testantur: et hunc quoque Eustachium fraterne amasti, ab eoque vicissim ita amatus es, ut illud quibusdam in litteris tibi per Franciscum adscribi jusserit, se non tam patruum sanguinis necessitudine esse velle, quam omnino tuum conjunctione amicitiae. Quocirca ne Patcanum quidem, quem et ipsum mutuo abs te diligere scio, ulli arbitror opusculum suum probari malle, quam tibi, neque cujusquam potius suffragio, quam tuo, bonorum judicium confirmari, quibus haec laudatio cum aliis nominibus illustris, tum gravissima, atque absolutissima visa est. Nam ab ineptis quidem non dubito, quin levior existimetur; quippe vulgarium Scriptorum magnificis assueti mendaciis, laudum redundantiam nimiam nullam putant, nihilque non grande atque elatum volunt: quasi vero satius non sit cauta orationis modestia cupiditatis suspicionem vitare, quam ampliore prae-

dicatione ejus ipsius, de quo praedices, existimationi obesse, et quaedam inflatius dicendo, etiam iis, quae religiose dicuntur, fidem detrudere. Habet hoc videlicet vera virtus, ut nihil aliud, quam ostendi se postulet: tum satis ipsa per se explendescat. Itaque videtur mihi quidem Palcanus de Eustachio suo, immo vestro, si melius mereri voluisset, male fuisse meriturus. Tu autem, Roberte, cujus maxime limatam mentis aciem, candoremque, quamvis cum lenitate conjunctum, attamen ingenuum, et liberum, nulla neque obtundere invidia potest, neque gratia corrumpere; tu, inquam, et quanto in errore isti, si qui sunt, versentur, et quam vere de Palcani in scribendo elegantia prudentiaque ipse sentiam: addo etiam quam bene tum nostrarum litterarum historiae, tum politioris humanitatis studiis hoc veluti munusculo consuluerim, unus omnium rectissime, eaque re, ut spero, ita judicabis, ut nobis vehementer laetandum sit, illis perpetuo obmutescendum. Vale, quantum est qui vivunt, homo hominum venustissime, meque, si alio nomine non potes, certe, ut tui, tuorumque Bononiensium amantissimum, quod potes, ama.

Ex Suburbano viii Id. Jul. ciciocclxxxv.

Doctorum hominum praeconia litteris consignare vetus adeo consuetudo est, neque solum usitata, verum etiam quotidiana, ut mirum esse debeat quemquam reperiri, qui id factum vituperet, ac sententia sua homines ingenio, et maximarum rerum scientia abundantes laudatione spoliet. Ac si qui alios ornari nolunt, aut essent ipsi litterarum rudes, aut a laudis cupiditate remotissimi, ferri commodius possent, patientius quidem certe. Cum vero hi et in iisdem studiis versentur, in quibus illi vixerunt, nec adeo levis sint animi, et lucem splendoremque fugientis, ut gloriam repudient, videant, ne, si quod volunt non probaverint, alienae virtutis hostes, et laudis invidi, quod est turpissimum, existimentur, si probaverint, ne, contra quam cupiunt, jaceant, et minus hone-

stam mortis conditionem ipsi sibi relinquunt. Nam quod ajunt se Galileo, aut Nevtono, aut paucis, si forte, aliis laudationes, et monumentorum elogia fore amplissima decreturos, ceteris non item, ne si praemia virtutis pervulgentur cum multis, dignitatem amittant; primum id ipsum superbum est, praeter paucissimos illos, neminem putare dignum, quem laudent; deinde non intelligunt eorum etiam, quibus honorum gradus pares sunt, glorias interdum esse disparas. Itaque nemo est nostrum, qui se Cavalerio, aut Gulielmino parem esse dicat, licet eundem in Gymnasio locum occupet, quem illi tenuerunt, ac eosdem fere, quos illi, honorum gradus sit consecutus. Quod si ornamenta reliqua, ut per se clara, et magnifica sint, perinde tamen habentur, atque eorum, qui illa acceperunt, virtus est; quanto id in laudationibus apparet magis? quae alias in alios accommodari possunt, neque eaedem in plures conveniunt. Ne-

que enim si Poëtam esse dixero laude dignissimum, putandum erit hunc continuo cum Homero aequari, neque si Imperatorem fortissimum fuisse affirmavero, erit metuendum, ne hic statim cum Caesare in virtutis contentionem veniat. Quapropter qui de Eustachio Zanotto scribere ingredior, neque passus sum plus apud me quorundam obtrectatorum, quam universae Civitatis vocem valere, et voluntatem, si quis objiciat non eum fuisse Zanottum, quem in Mathematicorum Ducibus, et Principibus ponas, non contendam; sed qui eos omnes inglorios, ignobilesque dimittat, quibus Principes hi praestiterunt, quantum ipsi praestiterint, sciet numquam: ut ad clariorem horum gloriam pertineat etiam alios laudari. Ceterum nos tantum Zanotto concedimus, quantum neque ambitiosi, neque invidi tribuere alteri debent. In quo tametsi difficile est iis satisfacere, qui omnia ad vivum resecant, nec verba numerant modo, sed tamquam

appendunt; nos tamen quid aequis rerum aestimatoribus videatur, non quid morosi illi probaturi sint, intuebimur: neque vero timemus, ne quia perraro grati homines reperiuntur, idcirco Civibus nostris crimini detur, quod nimium Zanotto grati esse dicantur. Sed de his plura persequi non est opus: ad rem venio.

Eustachius Zanottus clarissimis aetatis nostrae hominibus non stirpe modo, verum etiam ingenio, industria, rerum gestarum magnitudine conjunctus fuit, quae prope major cognatio est, quam illa, qua plerique delectantur, generis, et nominis. Patrem Johannem Petrum poetam longe probatissimum, patruum Franciscum habuit, robur illud Bononiensis Academiae, cujus per multos annos ab actis fuit. Illius aetas in ea tempora incidit, quibus, si quando alias, omni litterarum genere Bononienses florebant. Ne-

que enim possumus Manfredios, Ghedinos, Beccarios, aliosque bene multos, quorum in hac urbe magna ingenia, et consilia fuerunt, recordari, quin doctrinarum prope, non hominum nomina observari nobis videantur. Cum his Zanottus uterque, Johannes Petrus, et Franciscus conjunctissime, et sine obtreactione vivebant; quod in tanta maximarum rerum aemulatione, quantam inter eos intercedere oportebat, ut nunc sunt mores, vix fieri potuisse arbitraris; sed qui tum docti et erant Bononiae, et habebantur, fere aequabiliter omnes erant hujusmodi, atque haec laus eximiae innocentiae non ad homines solum, verum etiam ad illa tempora pertinebat. Vix autem dici potest, quam ea consuetudo Eustachio emolumento fuerit. Nihil enim adolescentulus domi audiebat, nisi doctum, et elegans, quodque non ipsum aut scientia augeret, aut exemplo. Instruebatur interea Scientiarum Institutum, et supra quam dici po-

test magnificentia, atque opibus crescebat. Marsilius praeclaram susceptionem illam suam perpetua quadam constantia roborabat, neque in tanta re torpere quemquam patiebatur. Senatores pro veteri ipsorum consuetudine in litteras propensi nihil habebant antiquius, quam ut Marsilio plane satisfacerent, et egregie inchoatum opus urgerent. Ipse Pontifex, quamquam erat multis, gravissimisque negotiis distentus, partem tamen aliquam curae, et cogitationis suae in Institutum derivabat. Omnino ingens erat tam praeclari operis gloria, multique certatim, alius alio copiosius, novas aedes muneribus exornabant; qui in Instituto docebant, omni in hominum coetu, et omni sermone celebrabantur: neque tantus ardor Bononiensium finibus potuit coerceri; sed ex urbe in urbem traductus Italiam, atque adeo Europam brevi occupavit. Quae cum in aliorum adolescentum mentibus inhaerescerent, tum in Eustachii animo oblitterari non pote-

rant. Etenim omnibus Instituti rebus ipse aderat, aut, si quando abesset, eas unus propter doctissimorum hominum familiaritates omnium maxime audiebat. Itaque alacrem magnumque animum ad eas attulit artes, quarum cognitione subnixos ad summam dignitatem advolasse alios videbat celeritate mirabili; cumque Eustachii Manfredii spectatae, praeter ceteros, virtutes essent, ad hunc se applicuit, atque ad hujus imaginem se totum confingere prorsus studuit. Sapienter is quidem, qui, cum optimum sibi ad imitandum proposuisset, ab ineunte aetate providit, ut, si etiam superare illum, aut aequare forte non posset, saltem in deligendo recte sensisse judicaretur. Cum vero haud pauci se se in Manfredii disciplinam per eos annos tradidissent, vix ulli clarius explendescebant, quam Algarottus, Zanottusque. Eminebat enim in utroque cum indoles virtutis, tum discendi ardor plane incredibilis; sed alter ingenii celeritate, al-

ter judicandi prudentia magnus habebatur: ille omnium doctrinarum cupidus nullam fere liberalem disciplinam non attigit; hic a Mathematicis artibus, in quibus se se puer abdiderat, vix unquam se abstrahi passus est: illius distincti, ornati, festivi sermones laudabantur; hujus oratio sobria, adstricta verbis, densa sententiis, nihil ut in ea notari posset diffluens, nihil redundans: denique ut nihil addi Algarotto poterat, nisi inepte, ita nihil huic, nisi temere, detraxisses. Qua praestantia cum esset, annos natus fere viginti consecutus est, ut Manfredio in Astronomia excolenda adjutor daretur. In quo facile ostendit sapientiae interdum, quam aetatis cursus esse celeriores, verissimeque dici; non ut arbores, et fruges, sic mentes et ingenia habere ad partus dies certos. Sive enim siderum motus observaret, sive astronomicum opus generosis adolescentibus explicaret, adolescens ipse, ita utroque in munere praestitit, ut om-

nibus probaretur, Manfredio in primis, cujus nos judicium reliquorum testimoniis anteponimus. Atque gravissimis hisce occupationibus laxare se vix poterat, unusque jam tum Astronomi partes sustinere cogebatur. Coeperat enim Manfredius ex renibus laborare, lapideque in vesica facto gravissimis doloribus excruciabatur, quibus anno millesimo septingentesimo trigesimo nono confectus est. Nemo illum non lacrymis, et moerore est prosecutus, hocque unum, quod verissime possumus dicere, ingenti, ut in malis, consolatione Bononienses lenivit, quod Manfredii gloriam Zanotti doctrina renovatam non sperabant modo, sed prope sibi cernere videbantur. Itaque ea provincia Zanotto commissa est, quam in Instituto Manfredius obtinuerat, eisdemque imperatum, ut, quod ille antea fecerat, Astronomiam in Gymnasio explicaret; ac nemo profecto aetate illa erat alius, cui se Astronomia, credo, ipsa committi mallet. Quum vero is in-

telligeret, quam magnum onus suscepisset, ac quanta de se esset exspectatio, non modo ut ante conlectam famam conservaret; verum etiam ut spem confirmaret reliqui temporis, curare coepit. Ac primum ephemeridas illas longe nobilissimas, quibus Manfredius futuros planetarum cursus ad annum millesimum septingentesimum quinquagesimum prae-nunciaverat, ad alios duodecim annos Zanottus produxit, neque postmodum in eo labore numquam, dum vixit, se se exercuit. In his autem libris facile apparuit, quam penitus in ejus animo Manfredii praecepta inhaesissent. Nunquam enim ab ea ratione, quam ille in praedictionibus suis agendis tenuerat, Zanottus discessit, atque in iisdem fere Astronomorum tabulis institit, nisi si forte utiliores aliae, magisque ad veritatem accedentes visae fuissent; quamquam nihil minus in eo volebat, quam novus videri, ac recentissimas quasque tabulas laudabat magis, quam sequebatur, neque

antea usurpabat, quam illas maxime emendatas esse, correctasque longo usu didicisset. Laborem hunc alius excepit. Etenim vix dum ad Astronomiam tradendam accessit, quum enumeranda sibi, et describenda sumpsit clariora sidera, quae certis infixis sedibus signifer orbis complectitur, vel ut provinciam cognosceret ipse suam, vel ut quam in observandis sideribus habebat solertiam, eam studio, et exercitatione redderet acriorem. Nam certe non ignorabat, quam multi ante se Astronomi descriptiones hujusmodi confecissent, qui etiam longe plura in Zodiaco astra, quam quae Zanottus animadvertit, studiose diligenterque notaverant. Ex quo intelligi potest, quam diligenti simul, et quam magno fuerit animo. Nam qui vel omnium primi in designandis inerrantibus stellis evigilarunt, vel qui aliorum notationibus multa postea addiderunt, feceruntque antiquorum inventa meliora, sapientes illi quidem, qui ingenti spe gloriae excita-

bantur, ne qua posset ipsos defatigatio retardare. Zanottus sapientior, cui officium pro gloria fuit, quique in solam propemodum artis suae cognitionem intentus hanc ad vigiliarum suarum fructum duxit esse permagnam. Quamquam non est putandum Zanotti consilium splendore caruisse. Primum enim id ipsum laudem habeat oportet vel sine laudis expectatione in magnis tamen rebus studium ponere, deinde, quum id ageret, ea Zanottus aperuit, quae nec erant satis nota nostris, et erant cognitione dignissima; velut illud, maximas saepe existere in stellis prope omnibus varietates, quibus fit, ut interdum longe lateque conluceant, interdum lumine imminuantur, ac prope nitescere intermittant. Fuerat enim antea in paucis stellis id animadversum, neque fere Astronomi adduci poterant, ut vel in paucas illas vere inconstantiam cadere arbitrentur. Adeo enim placebat eorum siderum, quae inerrantia ipsi dixissent, mu-

tabilitatem plane esse nullam, ut quum
stellas extenuari cernerent, incusare quid-
vis mallent, quam illas, ejusque rei cul-
pam aut in oculorum fallacias, aut in
aërem conferebant, qui modo crassus con-
cretusque, modo tenuis et putus nobis
offunditur. Neutrum Zanottus concede-
bat, hocque urgebat maxime, stellarum
commutationes tum fieri, quum metuen-
dum non est, ne aut videndi sensus fal-
lat, aut coeli dissimilitudo fraudem fa-
ciat. Fit enim interdum, ut si ad duas
stellas, quarum altera quam proxime al-
teram sit, rursus telescopio inspiciendas
te revoces, alteram sibi mirifice congrue-
re videas, alteram mutata forma a se
ipsa dissidentem cernas. Quid hoc au-
tem est insolens adeo vel coeli, vel ocu-
lorum ingenium, ut harum stellarum al-
teri lucem eripiant, et noctem quasi
quamdam offundant, alteri non item?
Haec autem quum Zanottus proponeret,
illud quoque non omittebat, non se eum
esse, qui has siderum conversiones cer-

tis terminis circumscriberet, aliorumque industriae malebat confidere, quam suae. Modeste, et considerate ille quidem. Namque, ut mittam quam magnum fuisse id opus, atque haud sciam an de astronomicis operibus longe maximum, alia etiam non deerant, quae ipsius conatus prohibere poterant. Nondum enim Baillius viam, rationemque docuerat, qua astrorum magnitudines accurate exquisitaeque conferri possent inter se, quaeque ad illorum ordines definiendos pertinebant, erant obscurissima prope omnia, multisque obstructa difficultatibus. Zanottum praeterea, ut qui negotiosam provinciam administrabat, aliud ex alio impediabat. Namque praeter Ephemeridas, quas, ut dixi, labore summo conficiebat, si quando Sol, aut Luna, aut aliqua earum stellarum, quas vi sua Jupiter complexus contorquet, deficerent, aut Mercurius, Venusque Solem trajicerent, vel si qui Cometa se proderet, ac longissime adveniens intra Planeta-

rum orbis se se conjiceret, vel si quid aliud in coelis occurreret observatione dignum, ea prope unus notare cogebatur. Neque enim laborem hunc delegare multis in ea Urbe poterat, in qua pauci admodum Astronomiae studio trahuntur, aliis ad quaestuosiora properantibus, aliis ne ad haec quidem. Plerasque ex illis observationibus Zanottus edidit, quas qui legerint nullum ab eo experientissimi Astronomi officium desiderabunt: hoc certe nomine apud Mairanum, Caillium, Messierium, aliosque praestantissimos aetatis nostrae Mathematicos in honore fuit: Caillius etiam, quum in Africam iter faceret, ut eas, quae circa Australem Polum volvuntur, stellas in Astronomorum catalogos referret, aliorum quorundam siderum, quae nobis conspicua sunt, motus, et conversiones cum aliis longè clarissimis viris, tum notandas Zanotto commisit, qui pro sua fide et diligentia ex Caillii voluntate susceptum nego-

tium sic gessit, ut opinionem, quae de se erat, aequaverit, et doctissimi illius hominis desiderium expleverit. Sed Zanotto praeter insitam animo industriam ad bene de Astronomia merendum fortuna etiam, cujus magna in utramque partem vis est, adjungebatur: idque tum praesertim apparuit, quum Templi D. Petronii Curatores, Alamanno Insulano Senatore amplissimo in primis suadente, celeberrimum gnomonem, quem in ea magnificentissima aede Cassinus construxerat, emendandum Zanotto, reficiendumque crediderunt. Jamdiu enim dolebant homines praestans illud, ac singulare instrumentum, per quod Cassinus cum alia bene multa, tum Solis accessus, discessusque subtiliter definiverat, temporis diuturnitate fuisse corruptum partim commota lamina, cujus centrum radius Solis trajicit, partim depravata ea linea, quam, quum meridies est, radius ipse attingit. Hanc certe, quam Cassinus ferreis regulis aliis aliis-

que deinceps positis consignaverat, marmoreis lapidibus, quo illae magis firmentur, insertis solo hinc et hinc, infixisque, praetereuntes quotidie homines sic protriverant, ut esset vitiosissima, aliis ejusdem partibus depressis, atque introrsum in pavementum actis, aliis praeter modum adsurgentibus, inconditeque curvatis. Labem etiam aliquam, ne omnem ejus culpam in homines conferamus, terrae motus fortasse fecerant, quibus identidem Bononiae aedificia nutare, crepitare compages, tabulata concuti visa sunt. Quae quum Manfredius animadvertisset, nihil magis optaverat, quam ut praeclara adeo constructio, quae vitium fecerat, restitueretur. Itaque eos, qui Templo praeerant, invitavit saepe, rogavit, obsecravit: egregium Cassiniana solertiae monumentum interire ne sinerent, atque ad gnomonem nobilissimum reficiendum quidquid ipsorum esset praestarent; se quidem in eam rem, si vellent, diligentiam quam posset ma-

ximam conlaturum. Haec saepe Manfredius, et cum multis, sed tunc Insulanus in corona non aderat. Itaque quum restituere ille gnomonem non posset, quod reliquum erat, id unum suscepit, in quo nullum impendium fieret, nisi laboris, ac singularum partium libramenta, erroresque dimensus, quam hi cautionem haberent diligentissime patefecit. Zanottus felicior: perficere enim potuit, ne quid per multa saecula, quantum augurari conjectura possumus, a gnomone cavendum esset. Quare clarissimum illud astronomicae facultatis instrumentum est ab ipso reffectum diligentia tanta, ut adhuc Cassino dignum videri possit, ea vero firmitate, qua se a temporis, hominumque injuriis facilius tueatur. Multa vero, quae observasse e re astronomica erat, hujus instrumenti ope sunt a Zanotto animadversa. Neque enim aut poli altitudinem, aut eclipticae obliquitatem, aut anni longitudinem investigare praetermisit, neque ob-

latam sibi illustrandae Astronomiae facultatem ad nihilum recidere passus est. Neque solum vidit quid esset maxime notatione dignum, quod ejus doctrinam commendat, verum etiam in iis, quae perquisivit, cum clarissimis Astronomis, ac Slopio in primis consensit, quod facile ostendit, quam diligens spectator coeli siderumque Zanottus fuerit. Quam certe laudem, etsi aliae abessent, nos tamen ipsam per se vel magnam, vel potius maximam esse putaremus. Nam si qui in coacervandis publicis, privatisque tabulis aetates conterunt ipsas, et vel unius oppidi monumenta diligenter conlecta, atque adnotata proferunt, in celebritate versantur; quanto in honore eos esse oportet, qui tamquam Mundi annales conficiunt, et historiae suae fines coeli regionibus terminant? Quamquam conatus est etiam Zanottus Mathematicorum doctrinis aliquid, atque adeo multum addere de suo. Namque brevissimos calculos, mi-

nimeque artificiosos aperuit, quibus Cometarum positus, et conversiones invenirentur, ac quantum in eo simplicitas posset, expertus est: quidquid certe ad Cometarum cursum describendum pertinet, id omne ad Trigonometriam, et ad falsas quasdam positiones revocavit, quo facinore nae ille magnam ab Astronomis gratiam iniit. Etenim plerique omnes, quum locum hunc tractant, ut mathematici fere sunt laboriosi, indulgentes sibi longissimos calculos ineunt, nec nisi per exquisitiorem industriam ad id, quod est propositum, accedunt. Molestiam hanc levare Zanottus voluit, idque illi in Cometis duobus, quorum alter anno millesimo septingentesimo trigesimo nono, alter millesimo septingentesimo quadragesimo octavo prodiit, cessit pulcherrime. Neque vero diffitemur Zanotti inventum in Cometis alios aegre accommodari potuisse, neque horum inventorum fortuna communis est recusanda. Quum enim Cometae toto coelo

vagentur, ac seu dum incitantur, seu dum retardantur, seu dum insistunt, innumeras habeant varietates, non est postulandum, ut una praeceptio sit ad omnium cursus definiendos aptissima. Est tamen aliquid, quum in re difficilima verseris, atque ea, quam nemo unus universe perfecit, Astronomorum commodo iterum iterumque prospexisse. Neque alia non exstant, quae ejus ingenium, doctrinamque testantur. De forma Terrae, quae nostrae aetatis Astronomos maxime sollicitos habuit, sermones conscripsit probabiles, et vero probatos, quos qui legerint hominis elegantiam mirabuntur. Nam quamvis hac super re eodem, quo alii, fere pervenerit, brevius tamen id praestitit, et facilius, ac Theoremata quaedam adeo venusta explicavit, ut dicantur Boschovichium in amorem sui rapuisse. Quum vero docet Zanottus, quemadmodum e positionis, quem vocant, angulo forma Terrae cognoscatur, ea nimirum tra-

ctat, quae plane pro novis haberi posse crediderim. Quamquam de Terrae forma scripserunt adeo multi, ut difficillimum sit tenere aliquid non antea fuisse scriptum; quo fit, ut ea ipsa, quae a Zanotto deprehensa fuisse arbitramur, non facile nova esse adfirmemus. Idemque fortasse valet in multis aliis, neque ego ullam in partem disputo. Quis enim praestet quae sunt ab ipso in usu, ac tractatione micrometrorum observata, ea superioris aetatis diligentiam effugisse? praesertim quum constet esse illa inventu adeo facilia, ut vel se offerre potuerint non quaerenti. Itaque Zanottus ipse, qua moderatione erat animi, non se illa ajebat proponere, quae ingenium ostenderent, id enim elucet in difficultate, sed quae Astronomiae studiosis prodesse possent, quamvis parva, et mediocra et essent, et viderentur. Sed vero quae de perspectiva conscripsit, ut nominibus aliis, sic novitate mirifice commendantur. Om-

nem enim quum ichnographiam, tum scaenographiam, quod a nemine antea factum legimus, uno, brevissimoque praecepto complectuntur. Neque enim quisquam est qui ignoret, quam multas in partes diducta initio fuerit perspectiva, quamque varias praeceptiones numquam non habuerit. Quas omnes Zanottus quum in unum Theorema contraheret, non tam veterem artem excolere visus est, quam novam propemodum docere. Quocirca non est mirandum, si Zanotti scripta vix dum edita omnes fere Italorum scholas pervaserint, neque defuerint, qui illa non solum veterum libris anteponerent, qui plerumque exiles sunt, et aridi, et multis obscuritatibus involuti, sed vel Taylora ipsi, qui magnus habebatur, eratque in omnium fere manibus. Mechanicam quoque Zanottus attigit, ac de corporum percussionibus pauca quaedam edidit, quam subtilia non dicam, elegantia quidem certe; quo nomine in tanta am-

plitudine Mechanices ne nunc quidem contemnantur. Sed est etiam quorundam error tollendus, ne Zanotti studia exponentes gloriam minuamus. Cum enim hic sua Theoremata emitteret, illa quaestio, quae tum de viribus vivis erat, ejus animum vehementer sollicitabat, quae a Leibnitio primum orta, ab Helvetiis deinde, Germanisque aliis aucta Gallos passim, Britannosque commoverat, demum ab Italis excepta, et quasi per manus Bononiae tradita Academiam nostram mirabiliter inflammaverat. Neque tantus hic animorum ardor ante consedit, quam Alembertus plane ad veritatem ostendit Cartesianos a Leibnitianis verbo non re dissidere, sicque convenire posse, ut illi veteris opinionis possessionem retineant, hi jacturam novae ne faciant. Sed Zanotti aetas in ea tempora incidit, quibus quaestio illa nondum in suspicionem inanitatis venerat; adeo Germanorum praesertim nomen omnium animos, auresque comple-

verat. Quare, ut mos tum erat, nemo fere laudis cupidus Mathematicus non aliquid de viribus vivis commentabatur, ac si quid occurreret, quod ad corporum impetus, pulsusque aestimandos quoquo modo pertineret, id propter nobilissimae quaestionis conjunctionem praeclarum admodum, atque magnificum habebatur. Igitur quod Zanottus brevia quaedam Theoremata, quaeque ostendere nihil prope negotii erat, editione tamen digna putaverit, temporum culpa est, laus ingenii, quod de iis eleganter, distincteque conscripserit. Ceterum quam ipse fuerit Mechanicae facultatis intelligens, alia indicio sunt. Cum enim ad eam hujus disciplinae partem, quae in fluminibus arcendis, dirigendis, avertendis tota est, animum devexa jam aetate appulisset, ingenio perfecit, ut videretur eam a pueritia usque arripuisse; multi certe ipsum de hydrometricis controversiis longe gravissimis cum Ximeno, Fantono, Lechio, aliisque,

quorum pervulgata sunt nomina, in consilium adhibuerunt. Neque vero est quod putemus aut in consiliis capiendis intelligentiam, aut in dandis fidelitatem Zanotto defuisse; sed, nescio quomodo, sunt litigiosa in hoc genere ita multa, ac variae adeo, et diversae, et in omnem partem diffusae hominum disputationes, ut nisi studia partium anteresederint, multorumque cupiditates deferbuerint, non satis occurrat quod scribamus. Quare spei fructum rei convenit, et eventui reservari, ne aut quod ambiguum est pro certo posuisse, aut destinatam forte Zanotto laudem festinatione praeripuisse videamur. Sed commentarios quosdam hydrometricos idem divulgavit, quos si mihi probari dixerō, non metuam, ne aut fides mea desideretur, quasi temporis obsequar, aut prudentia, quasi veritati non serviam. In primis vero quaestionum omnium, quas Rheni causa Bononienses cum finitimis plurimas, gravissimasque ha-

buerunt, historiam conscripsit, utque annis ille identidem agros vastaverit, ac late perdiderit omnia, seque in alios, atque alios cursus contorserit, et inflexerit, docuit, neque minus quid gestum sit, ut ea calamitas averteretur, aperuit. Quam narrationem utilissimam esse fatebuntur, qui noverint, quam multa Hydrometrarum praecepta miserimae Rheni adluviones diu multumque observatae pepererint. Est etiam Bononiensibus, qui nunc vivunt, ante actorum temporum incommoda cognoscere jucundissimum. Vix enim quidquam tantam habet oblectationem, quantam secura praeteriti doloris recordatio. Neque hydrometria non amplificat quae idem de aquarum fluxionibus Florentiae edidit. Quamvis enim fluvios, qua in mare erumpunt, per adclive ferri Gulielminus, auctor optimus, tradidisset, rem tamen hanc strictius attigerat, quam ejus admirabilitas postulabat. Itaque Zanottus et quam id late pateret

ostendit, et primus omnium docuit, ut aquae ad fluminum ostia superficiei devexitate impellantur, ac quasi ex alto profluentes alvei adclivitatem concepto impetu superent. Quod quidem nemo ante ipsum ad rei dignitatem apte explicaverat. Igitur praeclarum hoc Zanotti factum probarunt multi, in his Frisius, quamquam in eo desideret forsitan aliquid, et leviter emendet. Sed non tam dolendum Zanotto fuit, quod cum Mathematico tanto, quantus Frisius est, in paucissimis pugnaverit, quam jure laetandum, quod consenserat in tam multis. Alia quoque extant, quibus cognosci potest, quam fuerit Zanottus hydrometriae intelligens; sed modum adhibere oportet, ne ultra quam satis est minuta quaeque consectari videamur. In omnibus autem, quae emisit in vulgus, multa industria, et diligentia comparet, multa doctrina, ac lene quoddam, et aequabile, et candidum dicendi genus, quo plus valebat

in persuadendo, quam alii calamistris, et lenociniis. Quo minus mirandum est fuisse ipsum in tam multiplici excellentia suis Civibus probatissimum. Quamquam non modo ingenio consecutus est, ut multis charus, et jucundus esset, verum etiam moribus. Namque erat in eo auctoritatis, et consilii plurimum, integritas singularis, tanta in Patriam charitas, ut exterarum Civitatum magna sibi praemia, si in eas migraret, pollicentium beneficio uti noluerit, tantum in Principem obsequium, quantum in eo esse oportebat, qui justissimo Domino servire hanc jucundissimam libertatem esse arbitrabatur. Idem in perficiendo quod sibi commissum esset, incredibili erat cura, nullumque publici Doctoris officium, et munus summa cum fide non exsequebatur. Itaque multos adolescentes numquam, dum vixit, non erudit, quodque in solerti, et ingenioso homine perdifficile est, neque iracunde, neque laboriose docebat.

In eo etiam apparuit, quam liberali, et ingenuo esset animo, atque in omnibus servaret modum. Sunt enim, qui prae nimio docendi studio interdum peccent, quosque discipulorum multitudo usque adeo delectat, ut in quadam quasi specula perpetuo maneant, et quacumque adolescentulum vident surgere, illum statim per summam aviditatem appetant, et artificiiis omnibus aucupentur. Ab horum sedulitate tantum Zanottus aberat, quantum ab aliorum negligentia, neque modo fideliter instituebat adolescentes, si qui ad se ventitarent, verum etiam non ideo sibi minus placebat, quod interdum ne quem doceret aliorum industria impediatur. Neque vero in hoc solum, sed in omni vita curavit maxime, ut perpetua quadam moderatione temperatus et esset, et haberetur: vestigium in eo contumaciae cernereres nullum, ac, quod magnum rarumque est, ab ejus comitate quemadmodum austeritas, sic etiam le-

vitae omnis aberat. In sententia dicenda ita orationem moderabatur, ut neque superbus, neque obnoxius videretur, neque aut alienae dignitatis obliviscebatur, aut suae. In disputando, quamquam ipse summe lenis erat, non illos tamen vituperabat, qui animose, et fortiter dicunt, modo contumelia absit; haecque ejus vox saepe est a multis audita: illos ferendos non esse, qui innocuam dicentis libertatem queruntur se ferre non posse, eamque in alios culpam conferunt, quam ipsi sustinent. Jam veritatis cum esset cupidissimus, eam quacumque ratione infuscare flagitium, obruere autem scelus esse putabat, ac, quamvis amicorum dignitati mirabiliter faveret, eosque laudaret libentissime, cavebat tamen, ne quid in sermones suos per causam irreperet officii, quod videri posset blanditiis, aut gratia depravatum. Quo magis mirandum est eundem in adsentationis suspicionem nonnumquam incidere potuisse.

Sed sic est vulgus; pauca ex veritate, multa ex opinione aestimat. Quodcumque autem rectum est, id ad pravum semper aliquid quodammodo videtur accedere, ac quamvis ejus dissimillimum sit, nihilominus ab imperitis iudicibus idem existimatur. Quare ut dicendi ingenuitatem arrogantiam appellant, ita iudicandi modestiam adsentationis nomine accusant. Quum vero Zanotti animum multis amicissimum deprehendimus, tum nulla in ceteros malevolentia suffusum novimus. Igitur ut ipse gloriae seniorum subcreverat, ita ad suam gloriam consurgentes alios laetus adspiciebat, aliorumque virtutes imitatione dignas esse, non invidia arbitrabatur: omnino morum praecepta a gravissimis Philosophis arripuerat non disputandi causa, ut magna pars, sed ita vivendi. His igitur effecit, ut multi Principes viri ejus consuetudinem, convictumque expeterent, quos si omnes recensere velim nimius sim, praesertim quum ii ple-

rique sint, quorum si nomina commemorem, aegre mihi ipse temperem a laudando. Quis enim, si modo Ignatium Boncompagnum Cardinalem amplissimum nominaverit, laudibus abstineat? Quamquam hujus sapientiam admirari facilius possumus, quam verbis explicare, quid consecutus est, quod paucissimos omni aetate obtinuisse videmus, ut in maximis provinciae occupationibus idem prodesset litteris quum ingenio, tum auctoritate, eundemque haberent docti homines, a quo laborum suorum et praemia peterent, et exempla. Senatus autem Bononiensis, cujus est judicium gravissimum, tantum Zanotto tribuit, quantum memoria nostra fere nemini. Namque eundem amplissimis muneribus decoravit, et multa non petenti concessit, quae aliis petentibus denegaverat, ac, ne quod illi in suis Civibus ornamentum deesset, Instituti Praesidem creavit, eumque tribuit dignitatis gradum, quo, secundum Patres, altior nullus Bo-

noniae est. Cuncta autem Italia, atque adeo Europa quanti eum faceret, inde apparebat, quod e doctis hominibus Bononiam venientibus nemo erat, qui ipsum videre praetermitteret, nemo, qui quum vidisset, non id ad suae peregrinationis uberiores fructus referret. Multis etiam nobilissimis Academiis adjunctus est, quibus erat notissimus non ex praesenti quidem corporis forma (quamquam multas provincias hydrometriae praesertim exercendae causa obierat) sed ex imagine ingenii sui, quam purae, minimeque fucatae eloquentiae coloribus expressam in ejus scriptis licebat intueri. Quapropter, quod verissime possumus dicere, paucos ille habuit obtrectatores; quamquam magna invidia magnae gloriae fere comes est, neque umquam inepti deerunt, qui quum se velint posse omnia, neque praeterea quidquam esse aut in homine ullo, aut in ordine, aliorum ingenium, et virtutem depressam, extinctamque cupiant. Sed illi certe, quibus

Zanottus se probari exoptabat, semper probarunt; sunt vero etiam multi, quibus displicere laus est. Tali modo cum II et LXX annos complexisset, intervenit illi mors, ut seni, matura, ita bonis omnibus acerba. Natus erat anno millesimo septingentesimo nono v kal. Decembres, decessit idib. Maiis anno millesimo septingentesimo octogesimo secundo. Mortuo honores habiti non vulgares: namque Bononiensis Academia exsequias funeris prosecuta est, decretumque a suis Civibus, ut ejus memoria litteris mandaretur. Ejusdem imago in quamplurimis numismatis qua argenteis, qua aeneis impressa est, ut cujus ingenii monumenta aeterna futura sunt, ejus vultus effigies ne a posteritate desideretur. Utinam vero quae ornamenta in Zanottum plurima, et maxima Bononienses congegimus, ea multos e nostris adolescentibus ad bene de litteris merendum adliciant et excitent! Hic enim, meo judicio, est honorum, qui summis viris

tribuuntur, fructus vel uberrimus. Neque enim, quod plerique jam dictitant, languet adeo nostrorum juvenum industria, ut commoveri famae opinione non possint, neque restinctus est apud nos vetus ille ad honestas disciplinas animorum ardor. Illorum haec quaerela est, qui inani quadam antiquitatis specie commoti fastidire sic praesentia consueverunt, ut eandem semper fuisse humanae naturae conditionem vix sentiant; quasi vero aut qui ad gloriam modo contendant, nulli sint, aut optimum quodque non fuerit omni aetate rarissimum, multique veteribus temporibus exstiterint Themistocles, qui ad consequendum splendorem nominis mirabiliter inflammatus alienis tropaeis e somno suscitarentur.



